

CIMELIA

0

435

DIG 697


K. JANICKI
VITAE REGUM
POLONORUM
KRAKÓW

1565.

Biblioteka Jagiellońska



stdr0001993



435

CIMELIA

VITÆ REGVM
POLONORVM,
ELEGIACO CARMINE
DESCRIPTÆ.

Auctore
CLEMENTE IANITIO POLO-
NO, POËTA LAVREATO.



CRACOVIAE,
LAZARUS ANDREÆ excudebat.
Anno M. D. LXV.

S. W. 765

GENERE VIRTUTE ET
ERUDITIONE PRÆSTANTISS.

Viro, D. IACOBO ZALEUIO, Æquiti Polono, &c.

D. in primis honorando, G. SYLVIUS salutem
ac perpetuam optat felicitatem.

CUM proximo hoc biennio arduissima mihi amicitia ac prope quotidiana familiaritas cum ornatissimo Viro MARCO Ambrosio Nissenſi interceſſiſſet, vir clariff. ac nos de multis ac varijs (prout eſt ingenio raro atq; ſagaci) edocuiffet: inter cœtera etiã mentionẽ fecit, de inſtituenda Ruthenica Calcographia: multa inſuper de Sarmatię Procerum ſingulari humanitate, & erga præclara ſtudia obſervantia atq; amore cõmemorans. quę licet permagna ſint, ſummamq; mereantur laudem, nil tamen eſſe videntur ad eas virtutes, quibus optimum Principem diuini SIGISMUNDUM AVGUSTUM ornatum aiebat: incredibile aſſerens, quanta ſit huic Regi in parandis ornanis generis Artificibus cura, quanta liberalitas ac diligentia, in retinendis & ornandis Viris claris & eruditis, quanta in rebus gerendis dexteritas, quanta deniq; in adminiſtrando Regno prudentia atq; felicitas. dũq; hæc refert, legenda dedit pererudita doctiffimi viri CLEMENTIS IANITII Poloni Epigrãmata, quibus antiquiffimas Hiſtorias ac res geſtas Regum Polonię, eleganti ordine perquã compendioſe eſt complexus. quę cũ ſuprà modum placerent, non potui facere, quin (ne apud nos tantorũ Principum res præclare geſtę ignorent) illa ſub ampliffimi nominis tui auſpicio in lucem darem, quę eò iuſtius ad

A ij

te redi-

Cim. O. 435

P R Æ F A T I O.

te reditura putauī, quōd hæc Ambrosio isthinc discedenti ipse donaueris. Superest, vt eo vultu, animo, ac candore hos versus amplectare, quo bona ac honesta studia prosequi ac fouere consuevit, admirabilis illa tua humanitas. Optarem etiā optimi Principis diuī Sigismundi Augusti Patris res præclare gestas, eodem calamo ac vena descriptas esse: verūm existimo tantas ac tam amplas fuisse, vt eas tā angustè xij vcz̄t versiculis posse constringere ipse Ianitius dubitārit. Porrō ipsi Ambrosio amico nostro, eō libentius studiū atq; operam nostrā omnem in paranda Ruthenica Calcographia polliciti sum⁹, quod sub cœlo nihil præclarior, nihil pulcrius, nihil Asię magis vtile præstari à quoquā mortaliū posse iudicem, cū ob alia multa, tū verō maximè quōd sacrosancta nostra Religio in illas orbis partes, hac sola via cum fumma legentū salute deportari, & in omnium manus venire ac versari posset. verūm in rebus magnis & arduis, neruis, hoc est, pecunia opus est. Feceris itaq; operę precium mi Domine, tuāq; existimatione in primis dignū, si huic tam præclaro instituto manus auxiliares adiuuere non grauari, præsertim cū & opibus, et auctoritate mirificè polleas, ijsq; insup ornamentis, atq; animi dotibus instructus sis, quę veram ac perpetuam laudem mereri nemo diffiteri potest.

Antuerpię ex Officina nra Typogr. vi, Kas. Maias.

Tuæ Bnæ addictissimus

Guliel. Syluius.

Vita

VITAE POLONORVM^{3.}
PRINCIPVM.
CLEMENTIS IANITII,

Poeta Laureati.

Læchus primus.

Quæ modo Sarmatia est, quondā deserta fuerunt
Inuia, post magnas Deucalionis aquas.

Primus in hæc Læchus populum deduxit agrestē,
De patria pulsus seditione domo:

Dalmata uir, Pharijs claro patre natus in agris,
Quos rapidus curuis Crupa pererrat aquis.

Colle super pulcro properate moenia Gnezne:
Struxit, & a nidus nomen habere dedit

Omine permotus: multas ibi nanq; uidebat
Per uicinum aquilas nidificasse nemus.

Exule patre sumus, sed plurima Regna per Orbe
Principia exulibus dant sua, Roma notho.

Posteritas Læchi.

Rescentem Læchi populum tenuere Nepotes.
Extremum postquam clauserat ille diem.

Nomina nescimus, nescimus tempora per quæ
Durarint, istis præfuerintq; locis.

Longa fuisse tamen constat: quia Principe Craco
Nostrorum soboles iam numerosa fuit:

A iij

Sic, ut

VITÆ REGVM

Sic, ut opus fuerit Regni proferre priorem
 Limitē, adusq; tuum, V islula magne, caput.
 Dic modo, qui musas contemnis, et utile docto
 Nil patriæ à calamo posse uenire putas.
 Cur tantum Historiæ nobis perit? inter agrestes
 Tunc illos nemo scribere doctus erat.

XII Palatini.

Libertatis amor fertur cepisse Polonos
 Vt cecidit Lachi tota sepulta domus.
 Bissenis datur ergo uiris rerum æqua potestas,
 (Terra Palatinos nunc quoq; nostra uocat)
 Publica qui regerent: sed quos decepta uolebat,
 Patria pastores esse, fuere lupi.
 Dum sua quisq; petit, querit sua, maximus inter
 Tot Regni socios primus et esse cupit.
 Afflixere diu Patriam: uelut ante Tyranni
 Triginta muros, Attica terra, tuos.
 Vnius imperium res optima, qui sua calcet
 Commoda, subiecta commoda gentis amet.

CRACVS

Eluctata iugo multorum Patria, Cracum
 Præfecit rebus lata lubensq; suis.
 Finibus hic pepulit Gallos, qui nostra ruebant
 In rura, exuste post mala Pannonia.

Inuicus

POLONORVM.

4

Inuicus Regni tenuit quoq; Sceptra Bohemi,
 Et rexit geminum, carus utriq; solum.
 Tunc habitasse Draco fertur sub rupe Vaneti, ueli
 Dirus uicini de populator agri.
 Sulphure farcit ouem Cracus, munstro objicit: illa
 Interijt ingens bellua uicta cibo.
 Conditur à Craco C R A Conia: fabula Grachi
 Friuola Romani iam mihi, quaeso, tace.

Lachus II.

Cracus erat patris ad Craci iã sceptra uocatus,
 Cum fratris Lachi fraude, doloq; perit.
 Venatum exierat: cognato occumbit ab ense,
 Secretè obruitur dilaniatus humo.
 Narrabat nebulo sorptum esse uoragine cœni,
 Dum temerè urget equo, persequiturq; fera.
 Addebat falso lacrymas, luctumq; dolori:
 Hac Patrium obtinuit callidus arte locum.
 Sed scelus occultum posthac innotuit: ille
 Pellitur, et partas fraude relinquit opes.
 Discite, diuitias scelere o quicumq; paratis,
 Sic feriet uestrum uestra cupido caput.

Vanda Virgo.

Connubij ob crebram Virgo formosa repulsam
 Teutonici bello Vanda petita Ducis,

Hosti

VITÆ REGVM

Hosti congregitur: uincit. magno ille pudore
Incumbit gladio, se peremitq̄ suo.

At uictrix: mea uirginitas sit uictima uobis
O superi, per quos est mihi sospes, ait.

Rotogari effugi thalamos: sic fata, sub alti
Se fluuij rapidas præcipitauit aquas. *(Triq̄
Bactra Semiramidē, Tomyrin Scythaq̄ ornet, u-
Quam meus anteferat laude Polonus habet.*

Æquentur Regnis, æquentur Marte, licebit,
Æquari Vandæ quæ, rogo, morte potest?

XII Palatini iterum.

AD bis sex iterum recidit gens nostra Tyrannos
Immemor ô quanti tam cito facta mali!

Tunc nos calcabant Morauis, tunc Pannonis: omnis
Deniq̄ Læchidis quisquis iniquus erat.

Mutua, pro, Reges miscebant prælia: tanquam
Esset ab externo non satis hoste mali.

Plebs iterum damnat sua uota, & flagitat unum
Oppressis tutam qui ferat ultor opem.

Quos pelagi fluctus uidisti, agitantiibus Euris
Instabili huc illuc mox leuitate rapi.

Vidisti uulgius, uidisti grandia uulgi
Consilia, in uotis, propositoq̄ fidem.

Lesco primus.

REstituit Patria magna uirtute ruinam
Lesco suæ, miris usus in hoste dolus.

Sub

POLONORVM.

5.

Sub nemore hostis erat: Lesco sub nocte silenti
Appendi galeas per nemus omne iubet.

Sol oritur, galeas accendit: id obuius hostis
In nemus, instructi Militis arma putans.

Nil reperit: species quia Lesco remouerat illas,
Sic nostros Morauis terga dedisse putat.

Castra mero celebrat, belli securus: in atris
Lesco uenit tenebris: Castra sopita capit.

Æternumq̄ hosti dat somnum: longa Polonis
Otia: finitimis fœdera, iura, metum.

Lesco secundus.

AT tulit huic Regnum uariorum cursus equorum,
Et, præter morem, Sors oculata, suum.

Dignus erat Regno, quamuis patre natus agresti
Rusticus, & modici iustus arator agri.

Non bello quam pace minor: mireris in illo
Hoc, qui nulla unquam nouerat arma, uiro.

Ante oculos uoluit monumentum uile prioris
Fortunæ sagulum semper habere suos.

Et tamen illius non legerat ille Pœta,
Sarmatico dignum carmen in Orbe legi.

Fortunam reuerenter habe, quicumq̄ repente
Diues ab exili progrediêre loco.

Lesco tertius,

B

Quam

VITÆ REGVM

Quam fuerit belli cupidus, quam Martis amicus
 Iste, uel hoc signo discere quisq; potest:
 Cum sub eo Patriæ pax arma quiescens teneret,
 Bellandi fieret nullaq; causa domi:
 Impatiens otii, Graios contra, atq; Latinos
 Pannonibus toties auxiliaris erat.
 Viginti genitor uaria de matre nothorum,
 Infamat quantum tanta libido uirum?
 Sape, licet magni, post multa trophæa legantur:
 Et Cypriæ studijs incubuisse Diues.
 Quod si defendi exemplo non possit Achilles
 Lescø, & Alexandri: Mars quoq; mœchus erat.

Popelus primus.

Anne tibi lectum tantum, lasciue, reliquit,
 Non etiam Chlypeos armacq; dura pater?
 Et Veneri tantum iussit seruire? Gradiuo
 Non etiam, ô noster Sardana pale, suo?
 Quando quidē in fratrum tam multa gente tuorum
 Legitima solus Coniuge natus eras.
 Successisse etiam patrijs te laudibus æquum
 Non tantum uitij, imperioq; fuit.
 At genitore tuo felicior, ipse fusti
 Hac in tam rari parte Popelæ boni,
 Quod tibi tu similem genuisti: quiq; putaret
 A cuculo cuculum degenerare nefas.

Popelus

POLO NORVM.

6.

Popelus secundus.

Dum timet hic Regno pelli, uir inutilis, & cum
 Coniuge consultat, quid male tutus agat,
 Vim morbi simulat: patruos accersit, & illis
 (Viginti fuerant) toxica mista dedit.
 Orta cadaueribus uis murum erupit: & illum,
 Vxorem, natos, undiq; dente petit,
 Dilaniat: frustra medios fugiebat in ignes,
 Frustra in Goplaas perfidus hospes aquas.
 Discite iusticiam, qui propter lucra paratas
 Fertis, & exertas ad scelus omne manus.
 Est Deus, est scelerum uindicta: est poena malorum,
 Unde putes minime posse uenire, uenit.

Piastus.

O Priscos hominum mores, ô nescia fastus
 Simplicitas, ingens ô probitas, & amor.
 Nô puduit Procereis homini dare sceptræ Polonos,
 Qui modo cultor agrî Crusphiciensis erat.
 Ob solas uirtutis opes, uirtutis honorem,
 Qua uir in exigua floruit ille casa.
 Hoc orti de fonte Duces, Regesq; Poloni
 Durauere dies ad, Ludouice, tuos.
 Compita Crusphicia ueterum, nostro estis in orbe
 Euentu gemini nobilitata Ducis.
 Regnum ruricola deferrî: à mure uorari
 Regem: res aque prodigijsa fuit.

B ij

Siemouitus.

Sic & Alexander iuuenis uix illa suarum
 Ingressus rerum limina magna, perit:
 Vt Siemouite peris, Patriaq; relinquis acerbos
 Mœrores, iustam mortuus ante diem.
 Ense tuo eiecti de nostro turpiter agro
 Vltra Carpathium, Pannonos usq; iugum.
 Tota tibi soluit Pomerania uicta tributum,
 Fluctibus & nostris accola quisquis erat.
 Quattuor annorum sunt, hæc omnia, quid si
 Non abrupta tibi tam cito uita foret?
 Quamuis, quantumuis modicæ sub tempore uite
 Maxima qui gessit, uixit abunde diu.

Lescio quartus.

Quam Pater inuictis Siemouitus fecerat armis
 Pacem, Sauromatis attuleratq; suis,
 Filius est illam miro complexus amore,
 Et uite summam fouit ad usq; diem:
 Vir cuius mores nemo reprehendere possit,
 Aut nisi quem pugna classica bella iuuant.
 Sed cur bella geras, fruereis qui pace? quid optes,
 Contentus proprio qui potes esse, meum?
 Gloria ad arma uocat multos, laudumq; cupido
 Spes prædæ multos diues ad arma uocat.
 Vraq; bellandi causa iniustissima: solam
 Que pacē querunt, prælia, iusta uoca. Sic

Siemomistus.

Vltimus iste fuit nostrorum ex ordine Regum,
 Ignari falsos qui coluere Deos.
 Huic peperit Coniux oculorum luce carentem
 Hæredem: sterilis cum foret ante diu.
 Mos erat infanti, uite ut compleuerat annum,
 Ludere, quod uellet nomen habere pater.
 Ergo dies uenit simul illa, recepit ocellos,
 Ostentum dubia plebe stupente, puer.
 Res ea signabat, discussa nocte Polonos
 Visuros lucis lumina uera noue:
 Visuros illo Christum sub Rege negemus,
 Quod bona præstituat quaq; futura Deus.

Mescio primus.

Christe, sub hoc ad nos uenisti Principe, ab hoste
 Possessas Stygio commiseratus oues:
 Cesserunt idola tibi: Mars, Leda, Gemelli,
 Cynthia, Pluto, Ceres, Iupiter, Aura, Venus.
 Fœmina te nobis ostendit prima, Bohemo
 Sanguine. prima crucem nos docuitq; tuam.
 Si tu prima quidem nobis es causa salutis
 Ipse Deus, mulier, causa secunda fuit.
 Illa tuo tingi Mescionem fonte maritum
 Fecit: terra suum est tota secuta Ducem.
 Plurima tunc data sunt tibi tēpla, nouēq; cathedra,
 Et, quas sacrifici dilapidamus, opes. Bij

Boleslaus I. Chabri.

Vici, deuictos cepi cum Rege Bohemos,
 Subieci Morauos, Saxoniosq; mihi:
 Cassubios, populosq; freti cū littora nostri,
 Et Prussos, dubia teq; Ruthene, fide.
 Imperij fines positus ex are columnis
 Signaui, Herculeum sic imitatus opus.
 Nec mihi templa minus curæ, quàm castra, fuerūt.
 Hac quoq; laude patri cedere nolo meo.
 Regia ab egregio sortitus Stemmata Othone
 Sum Gnezne (Gnezne tunc meus hospes erat)
 Quæ quicunq; geres, fac sis hoc dignus honore,
 Quo tunc, tam magno iudice, dignus eram.

Sanct. Adalbertus Episcopus.

Presul Adalbertus, Pragensi pulsus ab Vrbe,
 Rege sub hoc nobis utilis exul erat:
 Vtilis exemplo, doctrina maximus omni
 Vir laude: à uera quæ pietate uenit.
 Lignicolas adiit Prussos, si forte uocari
 Ad Christi per eum gens ea posset iter.
 Spretus, barbaricæ iugulum dat forte macheræ,
 Sacrificat ripam dum super ossa tuam.
 Exanimum corpus Rex dura à gente redemptum,
 In Patria sacro fecit honore coli.
 Quàm sit eo dignus, per tot miracula, per tot
 Signa docet iudex ad sua busta Deus. Mie-

Miesco secundus.

DEgener, imbellis, Gula, Crapula, sordibus uxor
 Vxor totus femina, lurco nihil,
 Hic erat: uxor erat, Rex, Princeps, omnia: nostri
 Asperius quouis angue perosa genus,
 Teutonibus tantum aqua iuis: quàm credis ab illa
 Tractata est miserè terra Polona modis?
 Tunc Boleslai nobis perière labores,
 Ruperunt nostrum Regna subacta iugum.
 Vt rapuit tantum mors fausta phrenitide Regem,
 Pellitur è Regno, Rixa fugitq; suo.
 Dant pœnas scelerū: furor hūc, dolor abstulit illā,
 At longo fato dignus uterq; fuit.

Cazimirus primus.

Innocuus cum matre puer Cazimirus eodem
 Exilio, matris crimine, pulsus erat.
 Cluniaci placuit sibi uita monastica: seruus
 Quàm cuiusquam hominis, maluit esse Dei.
 Nos sumus interea sine Principe, subdita cunctis
 Terra, dolor fuerit quæ numerare malis.
 Reddimus eiecto Regnum, multa ille reuersus
 Restituit melior uix patre, dignus auo.
 Maslaum domuit ciuili Marte furentem,
 In reliquos mansit pax sibi grata dies.
 Quòd Deus innocuis adsit, quòd corruat insons,
 Maiori ut surgat laude: uidere potes. Bo-

Boleslaus II. Audax.

Quam bello magnus, quam magnis strenuus ausis
Boleslaus erat, tam truculentus erat.

Vastauit Morauos, Hunnos, te Russe Bohemos,
Vastauit Patriæ nec minus arua sue.

Cuncta libidiniibus complebat, cuncta rapinis,
Cuncta ignominijis, sanguine, cuncta metu.

Pontificem secuit frustratim recta monentem:
Vrbis Pontificem, maxime Cræce, tue.

O scelus, o portentum, o nostri infamia Regni,
Non tibi sacrilega tunc cecidere manus?

Vnde, & ubi perijt, ne iam dubitate Poloni,
Raptum sub stygijs obruit orcus aquis.

Sanct. Stanislaus Episcopus,

IVstitiæ testem tres iam tellure sepultum.
Æstates, Præsul suscitât iste sibi.

Propter oues pastor rabidi cadit ense Tyranni,
Dum litat aterna pane, meroq; Deo.

Nec satis hoc uisum sceleris: non illa cruenta
Tygridis ingluuius sic satiata fuit.

Disicitur sectus per agros, sed nulla uolucris
Ausa est tam sancti tangere membra Viri.

Indicio radij coelestis frustra leguntur,
Concresecunt miro consolidata modo.

Terrea quando facit tam magni membra piorum,
Quanto anis foueat, credis, amore Deus? Wla-

Wladislaus I. Hermanus.

PLurima rescidit fratris decreta Tyranni
Hermanus Latio par pietate Numæ.

Hunc spurius uetitis nexauit filius armis,
Sed pius arma tulit pro pietate Deus.

Vincitur impietas Gopleæ ad stagna paludis,
Induit inq; seras debita uincla manus.

Dic, qui multa legis, quot dignos laude, piosq;
Legeris: Historie per genus omne nothos?

Telogonus, qui pisce patrem obruncauit Vlysses,
De turpi Circes natus amore fuit.

Proditor Aneas Patriæ est, ne crede Maroni,
Romulus occisor fratris, uterq; nothus.

Boleslaus III. Criuoustus.

Hic quinquaginta pugnauit prælia, signis
Collatis, casu non uariante fidem.

Pugnauit quoties, toties & uicit, eorum
Nomina quos uicit, quod breue claudat opus?

Cæsaris Henrici magnas fudisse cohortes
Sat sibi, si deessent cetera, laudis erat.

Moxore interijt, quod proprusus inermis ab hoste
Fœdisfrago uictus, fraude, doloq; semel.

I, modo Pompeij numera mihi, Romæ, triumphos,
Nos Boleslai prælia: maior uter?

Pompeium Cæsar bello prostrauit aperto:
Fraus potuit nostrū uincere sola Ducē. C

Wladislaus II.

Quattuor in natos Regnum diuiserat æquis
Partibus, egregia cum ratione, Pater.

Ladislae tibi cecit C R A Couia natu

Maximè: auaritia maximè, Marte nihil.

Fratribus eiectis, solus dum quaris habere
Omnia, possessis pelleris ipse bonis.

Coniuge cumq; tua, quæ rem tibi suasisit iniquam,
Victus in externam profugus exul humum.

Ignorata tibi fuit alea? discere in illa,
Contentus proprio uiuere, quisq; potest.

Nanq; aliena petens perdit sua lusor, & aurum;
Dum cupit, amisso flens abit ære domum.

Boleslaus IIII. Crispus.

Dum cogit Prussos ad Christi dogma POLonos,
Amisso euertit milite Crispus opes.

Transfuga ducebat nostros malefidus, iniquum
Transgressos Ossam pertrahit inq; locum.

In conuestitum uiridanti cespite coenum
(A tergo in soluis abditus hostis erat)

Insilit: inclusos cœno suffocat in illo.
Vix pauci incolumes se eripuere fuga.

Mens generosa dolo quia nil agit, ipsa malignis
Oportuna dolis, insidijsq; capi est.

Et quia metitur proprijs uirtutibus omnes,
Est in pernitiè credula sæpe suã. Mesco

Mesco III. Senex.

Sæpe dies oritur nitida face: nec tamen illi
Credideris: subito nubilus esse potest.

Grandine messorum lapidare, tonitribus Orbem
Concutere, & rapidu frangere fulminibus.

Ecce Senex noster, Regni cum cepit habenas
Vir bonus, & placidi fratris imago fuit.

Mox sobole ingenti, generis, affinibus, auro
Inflatus, coeptam destitit ire uitam.

Nil illo peius, nil & crudelius illo,
(Audace excepto) Patria nostra tulit.

Sed tamen est pulsus. Nunquã impunita Tyrannis
Sarmaticis feritas scilicet ulla fuit.

Cazimirus II. Iustus.

Tractus ad imperiũ precibus, lacrymisq; suorũ,
Imperiũ fractas surgere fecit opes.

Percussit scelerum fratris iusto ense ministros,
Sacrificis pacem, ruricolisq; dedit.

Qui modo calcati sub direptore iacebant,
Inq; suis rebus nil habuere sui.

Intulit in patriam corpus, Roma usq; petitum,
Diui qui floris nobile nomen habet.

Mista dedit Domino scelerati aconita ministri,
Inter solennes perfida dextra dapes.

Trusit & in subitum, Patria plangente sepulcrum
Delicias hominũ, deliciasq; Deũ. C ij

Lescio V. Albus.

Cum sene bellauit patruo, sed an impius isto
 Sim facto, iusti discutitote uiri.
 Effet uter rerum Dominus, certauimus: at me
 Id uelle in patriam, nudus adegit amor.
 Ne paterer regnare lupum, maiore petentem,
 A quo pulsus erat, cum feritate gregem.
 Dum lauor, inuadit Pomeranus balnea inermem
 Dat non sperate meq̄, meosq̄ neci.
 Quanto igitur rerum Dominis securius auum
 (Quod quidam scripsi) cernite pauper gite
 Tempora sunt, loca sunt que uis metuenda potenti.
 Quod uiuit totum est: cura, pericla, metus.

Boleslaus IIIII Pudicus.

Tartaricus furor in cineres, regnante Pudico
 Sarmatia totas pene rededit opes.
 In flammis abiit Cracouia, quicquid & agri,
 Porrigitur ripas, Odera, ad usq̄ tuas.
 Fugerat ad Iugros Princeps, quia uiribus impar
 Ad confligendum cum subito hoste fuit.
 Stanislæ tuos cineres tellure leuauit,
 Et sacrum in fastis fecit habere locum.
 Coniuge consenuit cum uirgine uirgo Maritus
 Addictus studijs, casta Diana, tuis.
 Bochnenses reperit thesauros primus, & inde
 Sarcijt à diris damna recepta Getis. Lescio

Lescio VI. Niger.

Quanta locustarū, quo nos hæc scripsimus anno,
 Appulit in nostros agmina, uentus, agros:
 Agmina tanta ferunt in nos uenisse Getarum
 Sub nigro, & primum congeminasse malum.
 Is cessit solis, alio qui semper in hoste
 Cum quocunq̄ inijt prælia, uictor erat.
 Arma Ruthenorum, ductore superba Leone
 Et magna, exigua contudit ille manu.
 Obtriuuit quoties Lithuanum & Iazigas? (hoc iam
 Interijt nostro funditus ense genus.)
 Multa in Christicolos nil laudū habitura fuerūt
 Bella: lacebitus sed quia uicit, habent.

Henricus Probus.

Teutonibus solis clauis permiserat Urbis
 Quæ Regni Titulum possidet una, niger,
 Illi Silesium furtim sub nocte silenti
 Mœnibus accipiunt, cui studuere, Ducem.
 Nobilium contra, contra decreta Senatus,
 Nam cui legitime Sceptra darentur, erat.
 Perfida pars uicit: regnat Probus, exulat heres,
 Sed res parta dolo non dnturna fuit.
 Silesi Henricum dubio rapuere ueneno,
 Quod factis alter, nomine & alter erat.
 Qui fraudem in uita coluit, rem fraude parauit,
 Qua perijt: dignus fraude perire fuit. C ij

Primissus.

OB scelus Audacis raptum Diadema POLONIS
 Rettulit istius gloria, luxq; Viri.
 Magnus erat: tantum peperit qui primus honorem
 Nobis. Magnus & hic qui reuocauit, erat.
 Splendidus, antiquis certans heroibus omni
 Virtute, in summo quam decet esse uiro.
 Ceditur insidijs, celebrans solenne Lyci
 Inuidiam uirtus dat sibi, & illa necem.
 Et caute, & timide, Genio seruite potentes.
 Exitio multis lux Genialis erat.
 Hac Cyrus interijt, Macedo, interijtq; Philippus,
 Hac est Argolicis Troia cremata rogis.

Venceslaus Bohemus.

AD Veneclai usq; dies, Auguste, Bohemi
 Scortea Sauro-matis tota moneta fuit.
 Nummus erat pellis detracta animantibus illis,
 Quas aspergillos Patria nostra uocat.
 Hoc ego dum cuidam narro, qui strangulat amplo
 Arcas argento, semper egenus ait:
 Ergo putrescebant tunc nummi: ô dura priorum
 Tempora: tunc nasci res miseranda fuit.
 Gratia magna Deo, quod homo sum natus in ista
 Secula, cum pelles non nisi sutor habet.
 Quod si quando Deus mala uult secla illa reuerti,
 Tunc ego tunc, Superi, miluius esse precor.

Wladislaus III. Cubitalis.

Corpore paruus eram, cubito uix altior uno,
 Sed tamen in paruo corpore magnus eram.
 Non ego Prussorumq; Bohemorumq; cruorem
 Iactabo, cladem nec Gedimine tuam:
 Fortunam uici: cum qua mihi bella fuerunt
 Ut niger è terris triste uolarat iter.
 Ter cecidi Regno: per te Rhamnusia semper
 Post lapsum erexi maius ad arma caput.
 Corde uiris opus est magno, non corpore: magnum
 Qui strauit Goliath, nonne pusillus erat?
 Ingentem paruus Poliphœmum uicit Vlysses.
 Sed tamen ille hominē: tam graue numen ego?

Cazimirus III. Magnus.

Nil hoc splendidius, nil magnificentius uno est,
 Quodcumq; illius respiciatur opus.
 Legibus armauit Patriam, placidumq; sub illo
 Libertas ad nos protulit alma caput.
 Oppida tot cinxit muris, quo t̄ pane per omne
 Hoc Regnum muris Oppida cincta uides.
 Tres simul hospitio excepit cum Casare Reges,
 Cum tibi dat Neptem, Carote quarte, suam.
 Rex ingens opibus, bello, pietate: quid illum,
 Quid premis infami Cypria sola nota?
 Hunc dici magnum est iniuria magna Poloni,
 Iure suū nomen, Maximus, esse potest. Lu-

VITÆ REGVM

Ludouicus Hungarus.

Non quia uir fuerit, nequã Ludauicus, & ultro
Crudelis, nostras non bene rexit opes.

Sed quia Pannonia, dum plus amat arua paterna,
Linquebat seuis istud ouile lupis.

Qui nouit quid agant famuli, si longius absit
(Præsertim fuerit qui minus asper) herus.

Hic uidet arumnas, quas multa absentia ueri
Pastoris nostrum tunc cumulabat auis.

Illo Rege quidem Leges creuere: sed illo
Rege tamen robur non habuere suum.

Lex nisi tutores habeat, contra arma potentum,
Est quod araneolus sub trabe neçtit opus.

Iagello seu Ladislaus III.

Hic gentilis erat Litauus de stirpe Iagello
Vir bonus, & tantas inter honestus opes.

Mox est cœlesti Princeps baptismate tinctus,
Quem subito est Dominũ gens imitata suũ.

Hinc dotale capit pulcra cum Coniuge Regnum,
Et tribuit Litauũ signa Polona suis.

Rege sub hoc memorem suscepit Prussia cladem,
Sæpius & rigidus concidit ense Gethes.

Quam multa in Regno struxit delubra Polono,
Monstrat Gymnasium sat puto Croca tuum.

Et linquens gnatos ex iusta Coniuge natos,
Lucida fulgentis scandit ad astra poli. La-

POLONORVM.

13.

Ladislaus quintus.

Ladislae tibi Regale POLonia Sceptrum
Contulit, ob proprij splendida facta Patris.

Hinc quoq; & Vngaricus desert Diadema Senatus,
Et quæ sunt lati iugera multa soli.

Egregia uerò tu præditus indole regnas,
Ac regũ Imperio subdita Regna tuo.

Nec piguit Macedum fines uastare remotos,
Nominis ut fieret gloria nota tui.

Donec inire petit tecum trux foedera Turca,
Quod facis: at latius frangere Papa iubet.

Cui tu dum pares: te ad Varnam Marte paludem
Fudit Amurathos, & tua castra capit.

Cazimirus quartus.

Post fratrem Cazimirus adest, quẽ Turca peremit,
Sarmaticas iustus qui regit ultor opes.

Eripit & captas Marianis fratribus Vrbes,
Æthera terribili discutiente modo.

Hoc duce Sacrifici magnas sensere repulsas,
Hic ubi Castaliam Vistula uoluit aquam.

Hinc repetit Maria non ui, sed munere Castrum,
Prusiaci quod tunc incoluere Duces.

Hunc quoq; Choyunitiũ multis licet inde peremptis
Sensit, & illius quæ ditionis erant.

Ducentem reliquæ foelicia tempora uitæ,
Fata graue nobis eripuerunt Ducẽ. D

regnavit 40 annis

VITÆ REGVM

Ioannes Albertus.

Ducis Ioannes Alberte binominis agmen
Sarmaticum, matre id perficiente tua.
Instaurasq; nouo sed frustra Marte tumultum,
Vlturus Patruī funera mœsta sui.
 Nam Dacus uariat primo quod dixerat ore,
Te contra Turcam uelle iuuare serum.
Instruit horrendos te contra perfidus hostes,
Et fudit populos Marte iuuante tuos.
Vnde nemus nostris patuli memorabile fagi,
Dum sol syderico tramite currit, erit.
Sic igitur multis non faustis obrutus actis
Te rapuit iuuenem Parca seuera Ducem.

ALEXANDER

Multa laborati hoc recinunt de Rege libelli,
Quàm duri promptus Martis ad arma fuit.
Nil illum morbi, nil frigora saua mouebant,
Vt non inceptum perficeretur opus.
Sæpius insano compressit Iaxigas arcu,
Et dedit horrenda millia multa neci.
Indigna ulciscens sæui periuria Mosci,
Illius constans abstulit ultor opes.
Nec tantum bello studuit: sed legibus æquis
Subiectam patiens est moderatus humum.
Illā Ducis laus est certò uerissīma magni,
Qui sacra, qui iustū cū pietate colit.

Si-

IGISMUNDVS AVGVSTVS

Ætatis nono diademate cingitur anno
Augustus sabio cuncta regente Patre
Quadragesima tribus post regno præfuit annis
Diuini præstans actibus ingenij
Adiicit imperio Rigam et Curlandica rura,
Multaq; Liuonum fortia castra soli
Intulit et Mosco clades ubi capta Polocka
Insigni per eum proditione fuit
Vnio Lithuanos inter facta atq; Polonos
Illius est et erit non leue quippe decus
Et quod in integrum quæcunq; ablata fuisse
Ius contra et leges omnia restituit
Henricus Valesius Gallus.
Morte Sigismundi simul est extincta Secundi
Majcula Liuonum stirps Jageloniadem

Externus ego Rex Gallo de sanguine lectus
Henricus Princeps Andegaviensis erat
Qui tali Pompa Gaci ductus in Urbem est
Ut magis illustrem vix memorare queas
Tantus erat plausus populi acclamatio tanta
Delapsim ut credas caritus esse Deum
Sed post hanc speciem post ista tonitrua Pompa
In Latnam tacitus Rex abit ille suam
Non sicut ut Phebus subito qui splendet in orbe
Sapienter solet fusca condere nube caput
Stephanus Batonius

Henrico Stephano Batonii successerat Hannus
Qui vere Magni nomine dignus erat
Mante togasq; potens et inexorabilis equi
Atq; belli iudex iustitiasq; tenax
Sontibus inuisus qui libertatis abusu
Secant in leges charus at ille bonis
Non erat ingenius instructior artibus ullus
Pincorum Regum Sarmatiasq; Russiam
Livonum incipit terras oramq; Loloci
Et Moscoviticis de sepulcra opes
Quod si vera licet tanto de Rege faten
Non habuit toto virius in orbe parem

SIGISMUNDVS

Cum iurarat atrox devicto Glinscius hoste
Suspectam, pulsa suspitione, fidem,
Qui caperet Regni post mortem fratris habenas,
Tota SIGismundum terra POLona cupit.
Hoc, qui magnatum tunc nemo tenatior equi,
Maior consilij, & pietate foret.
Dus Regum decorabat eum clementia, solus
Deq; Iagellona stirpe superstes erat.
Prostravit fretum numerofo milite Moschum,
Millia quo bello bis cecidere decem.
Quantus amor populorq; suo, externisq; Monarchis,
Tantus erat Turcis, & tibi Theuto tremor.

IN POLONICI VE
STITVS VARIETATEM & IN
CONSTANTIAM DIALOGVS,
CLEMENTIS IANITII.

Collocutores:

IAGELLO REX.
STAN. MOROSOPHVS.

Rex. Pannonas, et Valachos devicit Turca, ppin-
Ut video, Regno maxia flama meo. (qua est

D ij

Surgo

DIALOGVS

*Surgo igitur tumulto. rebus si forte meorum
Consilio, aut alia subueniamus ope.*

Stan. *Audio Rex hic est, Rex tertio arma minatur,
Sed non fert: sic gens tota Polona facit.*

*Muris homo nostri, nisi quod fulciuit ouilla
Pelle togam, & Turcas uincere manus erit
Quam Prussos. p̄dit propria se uoce, Iagello est
Accedā, quo Rex tendis & un̄ uenis? Cilli*

R. *Ad uos è tumulto. S. qd caussa? R. Turca. S. qd
Tu facias? Valida est bellua. R. Sæpe tamen
Victa. S. Ad patronos res nostra abit ergo se-
Viuu an nō Reges sūt duo? sintq̄ p̄cor. (pultos*

R. *Impare Dij gaudet nūero. S. meretrix quoq̄ R.
Sūt sacra cū Turcis fœdera, nulla mihi (utriq̄*

S. *Fœdera, sed taceo, quos aut armabis? R. Eorum
Natos: qui Prussos me domuere Duce.*

S. *Visne uidere istos? R. opus est. S. illā aspice turbā.*

R. *Tota peregrina est turba ea, mitte iocos,
Et nūc, quaslo, mihi quā primū ostēde Polonos.*

S. *Quādo reuiuiscēt. R. nūc uolo. S. nūc et ego
Ostendo quales habeo. R. Deludis, an iste*

Est cultus gentis, stulte, habitusq̄ mex?

S. *Tu potius stultus, qui nescis tempore multo
Omnia mutari. R. Iam scio, at una tamen
Forma rei remanet mutata. hic mille figuras
Ex una ueteri cerno, meosq̄ nego*

Esse

CLEM. IANITII.

15.

*Esse istos fuit ornatus, fuit una meorum
Formula uestitus, & fuit unus amor.*

*Iner aues istas uariat pluma, unde putandū ē
Quod uariant animi. Nam simile ad simile*

*Et Deus, & natura trahit. Iam fungitur omnis
Vincendi Turcas, spes animusq̄ mihi*

*Si bellū ista geret quā mōstras turba: Quid autē
A Turcis missas hic ego cerno Togas?*

*Aut hosti turba ista fauet, q̄a gaudet amicta
Illius, aut omen res habet ista malum.*

S. *Immo forte bonū, spolia hac ex hoste feremus,
Vicimurq̄ suis rebus, & exuiuis.*

R. *Dij saxint quid, qui à collo arrexere bicornem
Pannum, Pannonico more, supra usq̄ caput*

S. *Si fugiant, uentusq̄ ruat posticus in illos,
Hoc uelo poterint accelerare fugam.*

*Sed nunquā fugient, prohibet nam calceus alto
Submixus ferro, ni sibi crura uolent*

*Frangi, dum sugunt: sic nostra Ciconia ut iste
Ambulat, & librat sic per aquosa pedes.*

R. *Condoleo miseris, quod compede sponte ligarint
Ipsi se. S. Assuescunt uincula posse pati.*

R. *Calcar præterea adiungunt cubitale sonorum.
S. Nempe locus pugne si lapidosus erit,*

*Desiliēt ab equis, strepitūq̄ hic calcibus edent,
Terrebuntq̄ hostes sicut arator aues.*

Dij

Aspice

- R.** *Asspice longipedes hos curta ueste, quid illi
Nomen militiae curta ea uestis habet.*
*Graculus ut quidam prohibet. Stratictica Græce
Dicta est: Militibus conuenit ergo bonis,
Brachia non onerat, nõ impedit arma ferentes,
Commoda transiri flumina, si sit opus.*
- R.** *Germanos, Italos, Gallos, quot cõspicor? S. At
His populis bello clarius Orbis habet. (nil*
- R.** *Deniq; nullũ hominũ genus arbitror esse, q; isti
Permissum turbæ non uideatur. S. Agas
Iure Deo grates, Regi diuersa Polono
Natio nunc paret, multus & est populus
Ex uno natus populo. Sic grana papauer
Ex uno (diuum nomine) mille facit.*
- R.** *Grana tamen mille illa suæ conformia matri
Sũt, at in his ueterũ qua nota, quaso patrũ est?*
- S.** *Mutarunt uestem, non pectora. uisne Senatũ
Nunc etiã ad leuã, respice, quid lacrymas?*
- R.** *II quoq; degenerãt, ut plebs, uariãtq; Senatus
Non uariat Venetus, purpura longa tegit
Omnes, ut narrant. ergo Respublica nunquam
Illorum uariat: longa, eademq; manet.
At uestri Proceres. incisus calceus illi est,
Leuiter huic thorax. hic tunicã, hic caligas
Consecuit. Pueros quod uix docuisset, in ipsa
Mileto genitos. S. Assper & acer homo es.*

Et te-

- Et temerè damnas, quod nescis quid sit. ut ergo
Noris, ij uestes consecuere suas.
Vt uulgo ostendant, se propter publica Regni
Commoda conscindi uelle, priusq; mori:
Atq; ita cõcerpi ut uestes quã admittere qdquã
Indignum Patria, religione, fide.*
- R.** *Spẽ reuocas, animũq; mihi, quid colla superbis
Torquibus, & gemmis irradiata manus.*
- S.** *Garrulus, et prolixus homo es, qn quæris ab ipsis
Cetera? ego interea temporis est quid agam.*
- R.** *Verbũ unũ. S. Sine me. uis est hæc, mitte, tuisq;
Luctã cũ laruis instrue, bella gere. (notauit.)*
- R.** *Dic q; homo es. S. Miles. R. prima hoc ego frõte
De bello, atq; armis dicere multa potes.
Quod nomẽ? S. Miles. R. nõ miles uestibus. S. & tu
Pellibus ijs non Rex. R. Sobria nonne placẽt
Vestimenta tibi sine luxu in Rege? Sed & tu
Vestitus caussam iam mihi redde tui?
A collo tibi per scapulas dependet onustus
Aut lana, aut foeno saccus, & hocce nouũ est.*
- S.** *Muniui hoc clypeo dorsum. Nũ uera loquentes
A uestris baculum, præmia, ferre solent?*

FINIS.

